TENTAMEN

DE

RE CRITICA.

Anglicè priùs celeberrimo

ALEXANDRO POPE,

Latinè nunc emittente

USHERO GAHAGAN.

Illuſtravit Amicus quidam Notis aliquot Anglicanis ad calcem editis.

Tentavit quòque; rem ſi dignè vertere poſſit. HOR.

LONDINI:

Proſtant apud M. COOPER, in vico dicto *Paternoſter Row*; apud J. HINTON, in Cœmeterio Divi Fauli, et paſſim apud Bibliopolas. Anno 1747.

BRITISH MUSEUM

SYLLABUS.

PARS. I.

Dubitatur quis inſcitior, Scriptor an Cenſor ineptus; poſteriorem aſſeritur plus afferre Damni, ver. 1, 2. *Verum Judicium non frequentius vero ingenio*, ver. 10 *ad* 20. *Pleroſque nonnullo judicio naſci, quod prava eruditione corrumpitur*, ver. 21 *ad* 28. *Multitudo et origo Criticorum*, ver. 29, *ad* 48. *Cujuſmodi ſit noſtrum Judicium ſolerter cavendum, ejuſque limites notandi*, ver. 49 *ad* 70. *Natura judicii optima Dux*, ver. 71 *ad* 90. *Judicium excolitur arte et normis, quæ quidem nihil ſunt præter naturam in methodum digeſtam*, ver. 91 *ad* 93. *Regulæ deducuntur veterum Poetarum Exercitationibus*, ver. 94 *ad* 113. *Ideo Priſcis à Criticô ſtudendum*, Homero *præſertim et* Virgilio, ver. 120 *ad* 140. *De licentiis, et qualiter iiſdem debemus indulgere et uti*, ver. 141 *ad* 181. *Antiquorum honor et laudatio, ad finem primæ partis.*

PARS II.

Impedimenta ſani judicii enumerantur. I. *Superbia*, ver. 206. II. *Literarum peritia imperfecta*, ver. 217. III. *Judicium de partibus, negligendo tota*, ver. 235. *ubi de ſtylo et captu poetico*, ver. 293 ad 340. IV. *Nimia delectari difficultas, aut nimia ad mirandum propenſio*, ver. 385. V. *Favor plus æquô Nimius, cujuſdam amor ſectæ, veterum aut recentium*, ver. 395. VI. *Præjudicium et præoccupatio*, ver. 409. VII. *Singularitatis affectatio*, ver. 425. VIII.

VIII. *Inconſtantia et animi Levitas*, ver. 431. IX. *Spiritus factionis*, ver 453. X. *Invidia*, ver. 467. *Invidiæ vituperium et Benevolentiæ laudatio*, ver. 509. *Quando liceat Criticis acrius inſevire*, ver. 527.

PARS. III.

Criticorum quales debent eſſe Mores. I. *Candor*, ver. 566. II. *Modeſtia*, ver. 569. III. *Urbanitas*, ver. 575. IV. *In conſiliis adhibendis liberalitas*, ver. 581. *Quando conſilium cohibendum*, ver. 536. *Deſcribitur Poeta inemendabilis*, ver. 602. *Et Criticus ineptus*, ver. 613. *Criticuſque dignus et laudabilis*, ver. 634. *Deſcribuntur Critici inter veteres optimi, viz.* Ariſtoteles, ver. 648. Horatius, ver. 656. Dionyſius, ver. 668. Petronius, ver. 670. Quintilianus, ver. 672. Longinus, ver. 678. *Quando declinavit Ars Critica, quando revixit*, ver. 685. *De* Eraſmo, ver. 669. Vida, ver. 708. Boileau, ver. 718. *Comite* Roſcomienſi, ver. 729, *&c. Concluſio.*

A

Monitum Lectori.

opuſculo ſequenti judicaturus Lector conſulat Notas Anglicanas ad calcem editas, notetque pariter ſequentia.

ERRATA Typographica.

Dedicat. p. 2, lin. 13. pro *egregrè* lege *egregiè*. p. 6. pro *emniùs* lege *eminùs*. p. 26. operis, lin. ult. pro *previſa* lege *præviſa*. p. 36, lin. penult. pro *patet* lege *paret*. p. 46, lin. prim. pro *ſeu* leg. *ceu*. p. 48, lin. 5. pro *velut*, leg. *velit*. p. 61, in Not. pro *proprè* lege *propè*.

PRÆNOBILISSIMO

PHILIPPO STANHOPE,

Comiti de CHESTERFIELD,

Et Regis Britannici Primicerio, &c. &c.

OPERA ſua dicantibus familiare hoc vitium eſt, ut ſtatim in ſplendida involent nomina, tractatam à ſê artem quanquàm parùm aut minimè callentia; et ſola generis ſeu ordinis dignitate adducti ſuas illis devoveant lucubrationes, nullâ eorum eruditionis aut judicij habitâ ratione: quâ in re, mihi videntur perinde agere, ac vinum abſtemio miſcere, aut ſurdo citharam donare. Sed mihi, Comes illuſtriſſime, te *Mæcenatem* eligenti (O! utinam et ego tibi eſſem *Flaccus)* hocque meum qualecunque opuſculum nomini tuo

colendiſſimo inſcribenti nihil hujuſmodi jure quovis exprobrari poterit; nam etſi me trahere ad ſe unicè valuit iſta tua nobilitas, et ortûs claritudo, quæ in hac luce populi angliaci, non ſine aliquâ forſan invidiâ, eminentiùs eluceſcit, tamen tu mihi tam magnus propriis virtutibus, tamque per te ſpectandus occurris, non modò in rerum adminiſtratione maximarum, quibus jam, ſummo rei publicæ bono, feliciſſimè occuparis, ſed in iis etiam interioris ſapientiæ ſtudiis, et politiorum peritiâ literarum, ad quas à naturâ tam egregrè factus videris, ut quoties de te cogitem, ordinis tui decus, et natalium ſplendor, opeſque familiæ, et majorum virtus conſilio manuque præſtantium, omnia prorſus excidant ex animo; adeo tu ornamentis tuis occupas propemodùm cuncta, nec extra te relinquis ullum apud tuos admirationi locum. Ex altera parte, judicium ingenii tui acerrimum, quod profectò his inſcriptionibus à me laceſſitum omnino nollem, non eſt cur aliquatenùs aut deprecer

cer aut metuam: quamvis enim ſatis ſcio, quam penè nulla ſunt, quæ tibi devovenda ſuſceperam; tua tamen in literas et literarum aſſeclas, non peritiores ſolum, ſed et ſimpliciter ſtudioſos, innoteſcunt adeo eximia humanitas et benevolentia honorifica, ut tenuitati meæ, ne ſibi aliquid inde tribuat, ſedulò laborandum ſit; cum autem in hac meâ prodeunte opellâ, non integrum ſit judicium tuum et acumen ſubterfugere, arguar forſan, ſi non audaciæ, ſaltem temeritatis, quod te, Angligenûm procerum ingenioſiſſime, compellare unum ex omnibus, hæcque tibi vilioris momenti offerre arrogantiùs auſus ſim; arguar, inquam, temeritatis, ſed mehercule perperàm; imò prudenter potiùs egiſſe mihi videor, iſta ad te delegando, quæ ſi quid habent (quod parùm confido) proprii meriti, bene eſt; ſin minùs, benignitatis tuæ etiam in mediocriter conantes nactura ſunt patrocinium, tuque meam imbecillitatem et iſtam animi tui, qua clares, benevolentiam ſic unà ſimulque tuearis: liceat igitur, quô nihil

gratius, nihil honoroficentius mihi arbitror poſſe contingere, ut tuum nomen amabiliſſimum in fronte operis exhibeam, argumentum humanitatis tuæ, et auctoramentum obſervantiæ meæ. Ne autem adulationem magìs, quam veritatis luculentiſſimæ teſtimonium hiſce laudibus (ſi quæ ſint) ſectatus videar, teſtem appello, *Britannum* utrumque ſenatum; teſtem, totam, qua patet, *Britanniam*; teſtem denique, natale meum ſolum, nempe *Hyberniam*; quam quâ prudentiâ, quâ liberalitate, quâ comitate, qua regiminis moderatione Prorex nuperrimus gubernâſti, foviſti, coluiſti, quis ignorat? Quis Hybernorum non ubique prædicat? Adeo ut nequaquam dubitandum ſit, quin apud illos

Semper honos nomenque tuum laudeſque manebunt.

Hujus igitur gentis, tibi fauſta omnia, et optima quæque ſemper et ubique voventis, me filiolum nunc apud *Britannos* velut extorrem, vagum, rerum et amicorum inopem, tuiſque jam pedibus advolutum et cernuum,

cernuum, pro more tuo beneficentiſſimô amplexare, fove, protege, meumque hoc Munuſculum, ſi minùs riſerit, non rejicias ideo, ſed donanti digneris ignoſcere; ſi verò riſerit, *ſublimi feriam ſydera vertice.* Lentioris ſum et viſcoſi ingenii, condones ergo, quòd te prolixiùs paulò alloquar, ne quidem adhuc alloquendi finem facturus; quamvis enim mihi conſcius ſim, quòd *in publica commoda peccem,*

Si longo ſermone morer tua tempora, Dormer.

Extorſit tamen Muſa, ut, quem admodûm ego ſolutâ, illa te metricâ oratione compellaret, exaudias itaque illam ſua tibi inſcribentem, ſic

Inclyta progenies Stanhopûm, *quô vindice nuper*
Noſtra ſibi facilem ſenſit Ierna *Deum*;
Primævis illuſtris Avis, illuſtrior Actis,
* *Nomine, rê, patriæ* Spes ſtabilita *tuæ*;

* *Stanhope, quaſi Standhope,* i. e. *Spes Stabilita.*

Conſiliis animoque Cato *novus, alter et ore*
Tullius, *utrâvis* Palladis *arte potens* ;
Quem poſcit Bellona *Ducem, dum laudat inermem,*
Soſpite quô, Regni res bene ſemper eunt.
Non tibi Barbaricum *potantia vellera ſuccum,*
Nec mea Sydonias *pagina mittit opes,*
Non, Indus *quô geſtit, Ebur, quô* Dalmata, *Marmor,*
Tanta nec exiguus noſter acervus habet ;
Quas habet, elargitur opes, meditata latinè
Carmina, ſic ſtudiis non aliena tuis.
Emniùs hæc loquor, at ſummô tê judice coram,
Faucibus hærerent verba pudica meis ;
Tantus honos vultûs, tam fulgis Apolline : *ut ipſo*
Hôc etiam abſenti carmine crimen ineſt.
Mittere ſed cupiens tibi maxima, magne Philippe,
Quô nequeo majus mittere, mitto Popum.

Obticuit hìc Muſa materiæ copiâ et gravitate deterrita, efflagitans ideo ut in limine

limine operis ederem, quæ olim majori ſub otiô dictavit de ſpectaculis igneis et lætitiæ ſignis *Dublinii*, adventu tuô in *Hyberniam*, exhibitis : faciam hoc equidem, idque paginâ proximè ſequenti ; te, quà poſſum, oblectaturus, et in teſtimonium antiquioris mei in te obſequii, qui ſum,

Comes Excellentiſſime,

Modis omnibus

Tibi, dum ſpiravero,

Devotiſſimus

U. G.

SPECTACULA IGNEA
ET
SIGNA LÆTITIÆ
DUBLINII Exhibita,

Adventu PRÆNOBILISSIMI

Comitis de CHESTERFIELD
In HYBERNIAM,

Poeticè Delineata. *

—— Ego cur, acquirere pauca
Si poſſum, invideor ? —— HOR.

JAM, ſatur auſpiciis, *Thameſinô* à littore pinum
Laxari mandat *Stanhopus*, pandique per altum
Vela fretum; celſâ ſedet ipſe in puppe, relictæ
Jugera reſpiciens terræ, et cedentia ſenſim

* *Incipit carmen à deceſſu ejus ex Angliâ.*

Lit-

Littoris Angliaci Navalia, Culmina, Rupes.
Mox fluctus emensa vagos, subit ostia navis
Eblanæ veteris, victamque *Philippus* Arenam
Ingressus, meritò sibi credita regna salutat.

Densiùs haud *Riphæa* grues super ardua tranant,
Hybernum tepidô mutantes *Strymona* Nilo,
Primaque formantes puerorum elementa volatu ;
Se neque Sturnorum cunei magìs agmine spisô
In nubem cogunt, brumâ subeunte *Decembri*,
Cum glomerant sese, fuscantibus aëra pennis.
Quàm globus indigenûm vestigia ponit in Actâ,
Proregem visurus eum, quem numina cœli
Delegasse sibi credunt : ferit æthera clamor
Dissonus et tantus, quantô non ipse *Cithæron*

Personat

Perſonat *Evantûm*, celebrant quando orgia *Bacchi*
Menades, *Aſopi*que undæ ripæque reſultant
Vocibus, et ſtupidæ in terram cecidere volucres.

Nec mora ; carpit iter, feſtinus adire patentem
Metropolim, propriique videre palatia Regis ;
Quò ſimul ac ventum eſt, novus æthera clamor ovantum
Verberat, et reſonis immugit *Liffius* undis,
Turbatis tremefactus aquis ; et compita flammis
Omnia collucent feſtis ; micat ignibus æther
Mechanicis rutilans ; tenſôque rudente Cometa
Coctilis antrorſùm volitat, rurſùmque recurrit,
Deſuper immittens miranti fulgura terræ.

Parte aliâ, ſublimè patent ſimulachra ſtupendæ
Artis, ubi incluſis cava volvitur orbita tædis;
Quippe illìc, matris vindex *Junonis* amatæ,
Vulcanus rotat ignifluis *Ixiona* gyris,
Mortalem amplexus auſum ſibi poſcere Divæ.
Deinde aliud mirum diverſâ parte relucet
Ignipotentis opus; vegetati ſulphure nitri
Pulvis adæquatô trutinatur pondere libræ,
Ingeriturque tubo tereti, quem charta Cylindri
Efficit in morem, cui nexa falarica longam
Deſinit in caudam, terebratamque inditur altè
In tabulam nexû tenùs, adjiciturque nitrati
Pulveris exiguus cumulus ſub calce papyri;
Admotô tum torre, rapit vis ignea flammam,

Quâ volat in nubes tubus actus, et ore favillas
Deſpuit ambuſtas, multô ſtridore coruſcans,
Emenſô donec meditati tramite curſûs,
(Non exauditô nobis per Inane fragore)
Diſſilit, et ſua ſê diſplodit viſcera totô,
Æmula luminibus manifeſtans aſtra ſupernis,
Arte laborata, et ſuperis immixta lucernis.
Nec tantùm terris ea prodigioſa videntur,
Verùm antiqua ſtupent manufactas ſydera ſtellas;
Altera fax ſimulat Colubros per Inane volantes,
Altera flammivomos Cœlo dat habere Dracones,
Ignis et ars variis ſignant convexa figuris.

Nec minùs et *Tellus*, flagrantibus invida monſtris,

Diverſum molitur opus, gremiôque latentes
Laxat aqualiculos, lymphaſque exterminat, et mox
In Cœlum vibrat per denſa foramina Bacchum,
Imbre *ſuperna* illô reſtinguere *Ludicra* ſudans ;
" Atque ait, haud igni tantùm generatur *Iacchus*,
" Nos etiam dedimus Divis naſcentibus ortum,
" Et damus uſque decus, thuriſque adolemus ho-
" nores ;
" Illos noſtra fides primæva locavit olympo,
" Queis pia credulitas feſtas ſacraverat aras ;
" Et modò ſemideûm veneramur numina Regum."
Quà latices fluxere priùs, nunc vina redundant,
Et bibit irriguô populus pro fonte *Falernum.*

Hæc ſuper, occlangunt cava campanaria raucô
Æra ſonô, quô vix ſua non dirumpitur Ædis ;

Appo-

Appoſitôque tuos pulſu, *Dormere*, canebant
Acceſſus, adeo Prorex adamatur honeſtus.
Area cuncta nitet, *Dibaphô*que inſternitur oſtrô,
Prælucent cameris lychni, variôque gemiſcunt
Atria concentu, modulis reboantibus *Ela*.
Poſtibus appendunt lauros, muriſque tapetas,
Scribitur aulæis nec * MENE TEKEL in iſtis.
Lancibus important epulas, menſiſque reponunt,
Poculaque, à labris propè jam ſacranda *Philippi*.
Pulſa fames dapibus, ſitis hauſtô nectare, ceſſit,
Proſpera tum Proceres cyathis genialibus omnes

* Daniel *cap.* 5. *v.* 25. *Parieti palatii* Beltſchazaris *miraculoſè inſcribebatur illud MENE TEKEL*, i. e. *Deus numeravit et finivit regnum tuum, et appenſus in ſtaterâ, inventus es minus habens ; dicitur ergo illud MENE TEKEL non ſcribi aulæis, quibus jam præerat* Stanhopus *noſter : Hoc eſt, ipſum appenſum in ſtaterâ, inventum fuiſſe ſatis habens.*

Fauſtaque *Proregi* regni primordia potant :
Buccina tum clangit, perque intervalla fragorem
Terrificum *Tormenta* cient, et *Tympana* ſanis
Auribus officiunt, *Lituique* et *Cornua* ſtridunt.
Mandatur ſalvæ, poſt hæc, *Res-publica* curæ,
Et placidâ fruitur, *Stanhopô* moderante, quiete.

BRITISH
25 FE 76
MUSEUM

TENTAMEN DE RE CRITICA.

PARS I.

NUM, malè *ſcribendo*, *cenſendone*, proditur artis
Pauperies major; res obvenit ardua dictu.
At laſſare animos, vitiô ex utroque, legentûm,
Culpa minoris erit, quam rectô avertere, damni.
Iſtâ aliquot peccant, plures hac parte: decemque,
Quemlibet in *Bavium*, *Momi* numerantur inertes.

Se dare ridendum potuiſſet *Ineptulus* olim,
Solus in hôc: verùm nunc carmine *ſtultior* unus
Deſirare *ſtylô* facit agmina tota *ſolutô*.

Hoc, quod in Horologîs, ſit Mentibûs: undique quorum
Nulla quadrant, ſed quiſque ſuo magè fidere gaudet.
Indolis ut veræ rarò datur eſſe *Poëtis*,
Stat veri rarò *Criticis* ita copia guſtûs:
Lumen uterque ſuum cœlô deducat, oportet,
Non cenſere minùs, quam propria condere, natus.
Erudiant alios, *Hederis* ſua tempora vincti,
Cenſeat et licitè, bene qui *ſcribendo* merebat;
Scriptores ſibimet faveant nimis, eſto: perinde
Non ſibi, cenſendo, *Criticos* faviſſe videmus?

Sin rimemur adhuc ſolertiùs, inde liquebit,
Judicii latitare animis propè ſemina cunctis;
Ipſa dat, ut minimùm, lucem *Natura* malignam,
Filaque, ſi leviter, depingit idonea menti.
Aſt ut *Imago*, probè formata, leviſſima quævis
Pigmentis ſordet, nedum decoratur, ineptis,
Culturâ docilis ſic mens hebetatur *iniquâ*.

Pars *vaga fit*, variâ fallente ambage *ſcholarum*,
Parſque *tumet*, fatuis quos hora dicaverat ortûs;
Communem genus hoc, ſectando *Pallada*, ſenſum
Dediſcunt, *criticôque* dein ſe *Marte* tuentur;
Queis odio ſcriptor, Procus æmulus alteri ut alter,
Eſt; aliiſque, habiles *Eunuchis* ſunt ut *Amantes*.

Stultorum plebs tota gravi prurigine *risûs*

Fervet, et in partes amat ire proinde *dicaces*;

Mævius invito ſi ſcribit *Apolline*; ſunt, qui
Judice, deteriùs quam ſcribit, *Apolline*, cenſent.

Sunt, qui pro *Doctis* habiti priùs: inde *Poëtæ*:
Mox *Critici*: tandemque meri evaſere *Barones*:
Sunt quòque nec *Critici*, nec *Vatis* nomine digni,
Ceu nec conſtat equi, nec aſelli corpore *mulus*;
Quorum noſtra ferunt *Sciolos* tot *ſemiperitos*

Sæcula, ſemianimes quot *Nili* littora vermes;
Hibrida gens hominum, quiſquam quibus addere nomen
Neſciat, ambiguâ tam ſunt ab origine nati;
Quos memorare ſatis, centena popoſcerît ora,
Aut unum *Fabii* *, centena quod ora fatiget,

* ——————*loquacem*
Delaſſare valent Fabium.——— Hor.

At

At tu, qui laudem conferre merereque dignam,
Cenſoriſque velis titulo te ritè colendum,
Conſcius eſto tui, propriaſque expendito vires,
Quò tua te *Doctrina* valet, quò ducere *Captus*;
Ultra ne modulum vada carpe; ſagaxque notato,
Aoniis ſe miſcet aquis ubi torpida *Lethe*;
Nam rebus *Natura* modos dedit omnibus aptos,
Vota ſuperba hominum prudenti lege coërcens.
Ceu tegit hìc tumidis quantùm mare fluctibus agros,
Tantùm alibi cedens bibulas procul orbat arenas;
Mens ita vi quantùm *memori* promptèque tenaci
Affluit, *eximiæ* tantùm vacat *Indolis* uſû;
Aſt ubi *Phantaſiæ* radiis vegetata tepeſcit,
Mnemoſynes ſimulachra liquent, imitata pruinas.

Unius exercet ſatis *una ſcientia* captum,
Arti tanta patet, tantilla ſed area *menti*;
Quæ non arte quidem modò circumſcribitur unâ,
Sæpe ſed ejuſdem vel in unâ parte moratur.
Anteà adepta modô, quô reges, perdimus; uſque
Ambitione levi, *partô* majora petentes;
Unuſquiſque ſuô poſſit bene munere fungi,
Dummodò, cui par ſit, curam deſcendat in iſtam.

Naturam tibi ſume ducem, mentemque figures
Ejus ad Exemplar, conſtans ſibi ſemper et unum;
Neſcia nam falſi *Natura*, nitoreque ſacrô
Circumquàque patens, vicibus lux obvia nullis,
Vim, decus, et vitam cuivis impertit opellæ,
Fons ſimul, atque *ſcopus*, *lapis* et quaſi *Lydius* artis;

Queis ſit opus, cunctas queat hâc depromere gazâ
Ars ſibi ſuppetias: ea dum regit intima, pompæ
Exterioris inops. Anima ut diffuſa per artus
Spiritibus clam corpus alit, ſuppletque vigore,
Suſtinet et nervos, et motus quoique gubernat,
Per niſi virtutes, nuſquam foris ipſa videnda.

Sunt tamen, *Ingenii* quos numina *dote* beârant,
Tantidem ſed rursùs egent, moderentur ut *illam*;
Judicio ſua ſunt et *Venæ* jurgia: quanquam in
Alternam donentur opem, ceu ſponſus et uxor.
Eſt cohibere *manu*, quam *calce* laceſſere, Muſæ
Majus Equum; mulcere iram, quam cogere curſum;
Aliger extrudit, generoſi more, *Caballus*
Digniùs hôc animos, quô lora procaciùs obſtant.

Hæc, haud ficta merè, documenta, reperta ſed olim,
Sunt *Natura*; viam *Natura* edocta ſed aptam;
Nam, quas ipſa dedit, juxta atque *Monarchia*, legûm
Se ſinit officiô *Natura magiſtra* ligari.

Utilibus primùm monuit ſcia *Græcia* normis,
Siſtere cùm Muſam, aut laxas dare præſtet habenas;
Parnaſſi ſublimè ſuos è vertice natos,
Atque, illuc venêre quibus, ſpatia ardua monſtrans;
Mercedem, immortale decus! dum pandit ab altô,
Et reliquos æquis aſcendere paſſibus urget;
Præceptîs pretioſa datîs exempla per iſta,
Hauſit ab iis, ipſi quæ diis exhauſta tulerunt.
Candidior *Criticus* tum *Vatibus* addidit ignem,
Et faviſſe probâ docuit ratione popellum;

Semet in ancillam dedit *Ars cenſoria* Muſæ,
Quò daret et *veneres*, numerumque augeret *Amantûm*.
Hac à fine tamen nimiùm Gens poſtera flexit,
Qui *Dominâ* nequiêre frui, petiêre *Miniſtram*,
Gloriolæ propriô ſectantes Nomine *quæſtum*;
Inque pios ſua tela retrò torſêre poëtas,
Hos odîſſe magìs, *per quos didicere*, parati.
Sic *medicîs* ſchedulîs edocti *Pharmacopolæ*
Pæonias egiſſe, novi, ſimulaſſeve partes,
Ignotâ utentes audaciùs arte, medelas
Præſcribunt, adhibent, ridentque fugantque Magiſtros.

Semesîs *Veterum* foliis pars veſcitur; his nec
Majorem peperêre *Anni Tineæve* ruinam.
Simpliciùs jejuna, ſuis nil freta cerebris,
Pars cumulat vapidas, fiant queis carmina, leges.

Hic fugit Auctoris ſenſum, doctrina pateſcat
Ut ſua; quem gloſſis alius propè reddit ineptum.

Qui cupis at rectô procedere tramite mentem,
Sunto tibi *Veteris* proprius cujuſque *character*,
Tempora, *relligio*, *mores*, *gens*, *lingua*, *ſcopuſque*,
Materies operis, nec non bene *fabula* nota;
Omnia ni ſimul hæc, oculis velut obvia, nôris,
Momus abundè ſatìs, *Metius* ſed habebere nunquam.
Mæoniden, ſtudium tibi qui ſit et alta voluptas,
Perdius et pernox meditare legaſque viciſſim;
Hinc prompſiſſe *Animi ſpecies* tua cura ſit omnes,
Inque ſuum fontem doctas reſequare Sorores;
Illius, uſque ſibi collata, poëmata volvas,
Mantuâ et enatam, *ſcholii* vice, ſume *Thaliam*.

Cum

Cum caneret primùm reges et prælia doctus

Ipſe *Maro*, monitor tetigit neque *Cynthius* aurem;

Forte, ſibi viſus *Criticorum* ſtigmate major,

Naturæ ſtatuit latices hauſiſſe meracos;

Expendens verùm rem mente minutiùs acri,

Naturam mox ſenſit, idem, *Iliaden*que fuiſſe;

Victus et attonitus petulanti deſtitit ausô,

Nec minùs *Æneiden* normîs intexuit arctîs,

Verba relegiſſet quàm ſingula ſi *Stagyrites*;

Hinc præcepta ſatìs venerari diſcite priſca,

Naturam quiſvis imitans, imitabitur illa.

Sunt ſed adhuc *veneres*, quas arte lucrabere nullâ,

Sicut enim *ſtudium*, quædam eſt quoque fauſta *facultas*;

Nempe Poëma Melo par audit, utrôque ſolente

Reddere delicias, quas regula nulla docere,

Nec cudiſſe manus, ſummè niſi dextera, poſſit.

Si, quando præcepta nimis ſunt limitis arcti,

(Nil quoniam præcepta valent, niſi finis in uſum)

Commoda propoſito quadrare *Licentia* poſſit

Utilitate pari; facit iſta *Licentia* normam.

Audeat intrepidè, ſe per compendia ducens,

Callibus à tritis ſic flectere *Pegaſus* alas.

Egregiæ interdum, cum laude, vir indolis erret,

Admiſtiſque, negent *Critici* quos radere, nævis

Surgat humi, et pulchrô vulgares turbine metas

Tranſiliat, rapiatque novum decus inde, quod artem

Exuperet, rigidôque vacans examine corda

Captet, et optata poterit ſic fine potiri.

Alliciunt ferè ſic oculos, et amœna videntur

Pleraque,

Pleraque, *Naturæ* præter creſcentia morem,
Informis velut aut ſcopulus, præcepſve ruens mons.

Cura ſed haud tenuis tamen eſt adhibenda Poëſi,
Inſanire decet certâ *ratione modôque*,
Propria nam *Veteres* licet in dictamina peccent,
Ceu temerare ſolent ſua jura edictaque *Reges*,
Advigilate novi, vos aut offendere ſi quid
Urgeat in leges, minimè pervertite finem;
Parciùs id fiat, premat atque occaſio dura,
Militet et vobis ſaltem rata forma *priorum*;
Involet aut aliter *Criticus*, miſereſcere famæ
Neſcius invalidæ, *legûm*que ferociet armis.

Sunt Genus aſt hominum (ſcimus) cerebroſius, hæc

qui

Liberiora

Liberiora velint *Veterum* ornamenta reprêndi.
Sic, abnorme aliquid ſtolidumque, *Parerga* tabellæ
Apparent, æquô propiùs ſeu viſa ſeorſim;
Quæ, ſimul ac illis aderit lux apta fituſque,
Pulchra nitent, redit et toti ſua Gratia formæ.
Non ſemper dux ire jubet ſolertior æquis
Ordinibus Numeriſque ſuas in bella phalanges,
Temporis atque loci ſed ſeſe accommodat anſæ,
Vimque tegit, quin ſæpe fugæ ſimulamina nectit.
Hoc venit (errorem quod rere) frequenter ab aſtû,
Nec, niſi dormimus cum ipſi, dormitat *Homerus.*

Stant *Veterum*, lauris huc uſque virentibus, aræ
Frondentes; quas turba nequit vitiare profana;
Quas non invidiæ rabies fera, nec furor ignis,
Nec poterit bellum, nec edax abolere vetuſtas;

Doctiloqui

Doctiloqui ſua thura, omni è regione quot orti,
Læta ferunt, *Pæana* omni ſermone canentes;
Tam meritas vox quæque paret contexere laudes,
Humanique chorum Generis ſic augeat omnem.
Euge! triumphantes vates! fælicior ætas
Quos tulit, hæredes famæ toto orbe perennis,
Queis laudûm, rivis velut illabentibus amnes,
Creſcit in æternum cumulus, volventibus annis;
Veſtra celebrabunt nondum ortæ nomina Gentes,
Et plaudent Populi, ſed adhuc quos ſcire negatur.
Me nunc æthereæ, geritis quam pectore, flammæ
Veſtrorum minimum foveat ſcintilla nepotum,
(Qui, nimiùm lentis dum vos ſequor eminùs alis,
Veſtra caleſco legens, mea ſcribens hæcce tremiſco)
Unde *leves* doceam noſtros (ars cognita paucis!)
Fidere vix proprio, meliorum plaudere ſenſum.

TENTAMEN DE RE CRITICA.

PARS II.

OMnibus ex aliis, oculos quæ mentis opacant,

Seducuntque animum, satìs ex sê erroribus aptum,

Imbelle obliquans cerebrum, fortissima longè

Regnat causa *Tumor*, comes indivulsa Stolonum!

Quidquid enim *meriti* nobis *Natura* negârat,

Hoc reparat largô suffecti fœnore fastûs;

Afficit

Afficit hoc animos, quod corpora; ſanguine quidquid
Hiſce, vel ingenio vacat illis, aëre turget:
Cum nec acumen adeſt; ventoſa *Superbia*, ceu nos
Protectura, replet totum *rationis* inane:
At ſi recta eadem *ratio* diſpellere nubem
Poſſit eam, *Veri* nullô redit objicê *lumen*.
Ne tibi crede proin; proprios ſciviſſeque nævos,
Utere cujuſvis ſenſu, ſit amicus an oſor.

Doctrinæ modicum res eſt, heu! plena pericli,
Aut fuge *Pierios*, aut altiùs ebibe, fontes;
Parci namque hauſtus Cerebrum vertigine tangunt,
At ſedare ſolent, iterumque reducere, largi.
Deliciis rapti, quas alma *Scientia* confert,
Summa artis petimus, juvenes formidine caſſi,
Dum mentis finita acies, propiora tuendo,

Ponè nequit longô ſubeuntia cernere tractu ;
Artium, at annoſi paulò magìs, ecce! novarum
Proſpicimus (mirum) ſeries ſine fine parandas.
Alpinas læti primùm ſic ſcandimus arces,
Vallibus egreſſi, viſique per æthera ferri,
Æternæ jam jamque nives poſt terga relictæ,
Et juga ſperantur, poſt proxima, nulla : ſed iſtis
Acceſſis, feſſi trepidamus adire labores
Protractæ magis uſque viæ, colleſque ſequaces ;
Dumque recreſcendo proſpectus laſſat ocellos,
Montibus inſurgunt montes, atque *Alpibus Alpes.*

Judicis eſt æqui, ſcriptum perpendere quodvis,
Atque animô totum, quo ſcripſerat Auctor, eôdem
Volvere ; venari nec menda minuſcula, mens cùm
Carmine rapta calet, *Natura*que ſuggerit æſtum ;

Nec, genus id ſtudiô craſſè ſtolidèque malignô,
Pocula nolle, ſuos quæ miſcet nectare *Pallas*.

Deprimit at quod ſe nuſquam, tollitve, poëma,
Frigidulè terſum, præceptaque reptile ſervans,
Quod, vitia evitans, uno tacitôque tenore
Pergit, id haud culpem; vetat at nil carpere ſomnum.
Carmina vendit idem, quod et ora: nec afficit hujus
Sola, nec iſtius mentes proba fabrica partis,
Non *Helenam* facit aut oculus, labiumve; ſed illa
Dimanans toto quæ ſurgit corpore forma.
Molitam fabrè quoties ita cernimus aulam,
Quæ tua, quæ mundi cluat admiratio, *Roma*!
Haud nitet impariter pars illa, vel altera quædam,
Cuncta ſed invadunt oculos ſimul uniter apta;

Nec *procerâ* nimis, nec *lata*, nec *alta* tumeſcit,
Tota ſed audacter normis accommoda fulget.

Completum qui ſperat opus ſine crimine: ſperat,
Lapſa quod, et præſens, venturaque denegat ætas;
In quovis ſcriptô ſcribentis conſule finem,
Quandoquidem plus fine poteſt attingere nemo,
Siquè decens mediis aptis reſpondeat uſus,
Menda nihil leviora vetent impendere laudem.
Morigeros imitando viros, magis arte periti
Exiguis cedunt vitiis, ut grandia vitent,
Dogmata temnentes *Criticî* cujuſque *minuti*,
Nam neſcire aliquas eſt quædam gloria nugas.

Cenſorum pars ſumma, ſibi famulantis amore
Artis, ſæpe ſolent parti propè ſubdere totum,

De placitis blaterant, gaudent dum partibus ipſi,
Stultitiæque uni dilectæ cuncta voveri.
Forte viâ, perhibent, vati *La-manchius* heros
Obtigerat, monitis quem diſceptando tenebat
Appoſitis, vultûque adeo geſtûque ſeveris,
Non ut *Ariſtarcho*, enodanti dramata, cedat,
Præcipitem dictans ſtolidumque per omnia quemvis,
Qui ſit *Ariſtotelis* diſcedere legibus auſus:
Tam gnarô felix viſus ſibi judice *vates*,
Conſulit hinc Equitem, proditque *Tragœdia:* cujus
Materiam notet, atque *ſcopum*, *nexumque*, *ſtylumque*,
Affectus, *mores*, et quid non id genus? orat;
Omnia quæ ſtricte normis aptata fuiſſent,
Prætermiſſa foret ſi ſola palæſtrica pugna.

" *Quid-*

" *Quidnam!* clamat Eques, *vis an certamen omitti?*
" Imo, secus doctum peccabitur in *Stagyritem;*"
Non ita per Superos! irato fronte reponit,
Ingredi oportet equos pugilesque duceſque theatrum;
" Agmina tot nunquam capiet ſimul area ſcenæ;"
Ergo novam latamque ſtruas ſatis, aut age campâ.
Sic magis *arbitrio Critici,* quam *mentibus,* acti,
Difficiles fine nare, nimis fine nare *ſagaces,*
Truncatas fingunt *ideas,* et in artibus errant,
(Moribus ut multi) partes, nil tota, colendo.

Pars folos ſapuiſſe *ſales,* et *acutula* cudi
Undique *ſenſa* velint, renitereque carmine quôvis;
Nil apti, nil mentis habens, quis ridet opella,
Splendidulumque *chaos,* rudis et *farrago* leporum.
Scriptor idem pictorque ſolent; cum ſimplicis amba

Naturæ

Naturæ nequeant vivas effingere formas,
Mox operi Gemmas Aurumque intexere curant,
Artis egeſtatem velantes fraude colorum;
Audit *acumen*, idem, *Natura* quod acta decenter,
Obvia res *menti*, non ante ſat obvia *voci*;
Quoddam aliquid, viſum quod *Veri* luce refulget,
Effigiemque animi, ſpeculi de more, remittit;
Lumen ut admiſtæ reddunt jucundius *umbræ*,
Simplicitas *ſubtile* pudens commendat *acumen*;
Nam poterint plus ſcripta *ſalis*, quam proſit, habere,
Corpora ceu nimiô præ ſanguine plura maceſcunt.

Floridus eſt aliis *ſermo* ſolummodò cordi,
Utque *puella* viros habitû, *Genus* undique libros
Æſtimat hoc; laus eſt ea quos apud una, *niteſcit*
Quam ſtylus hic! Senſûs quavis ratione quietos.

Verba

Verba ferè referunt frondes; ubi plurima creſcunt,
Rara datur *ſenſûs* ſeges invenienda ſub illis.
Ementita *vitri* facundia more *triquetri*,
(*Priſma* ſophi indigetant) rutilos quòcunque colores
Diffundit, vultum *naturæ* ut cernere non ſit,
Omnia tam lautè, ſed et indiſtincta, coruſcant:
At germana *Phraſis*, Phœbi immutabilis inſtar,
Evehit in *pulchrum*, radiiſque ſerenat amicis,
Ditat et objectum quodvis, non innovat ullum.
Scilicet eſt ſermo *Concepti* cultus, et ergo
Dignus laude magis, quô convenientior idem;
Vile aliquid, dictis prolatum voce ſuperbis,
Regali ſimulat tunicatum Murice *Vernam*;
Diverſos diverſa ſtylos nam *lemmata* poſcunt,
Alter ut eſt *Ruris* veſtitus, et *Urbis*, et *Aulæ*.

* *Famine* ſi priſcô famam meruiſſe *poteſſent*,
Pars certant, verbis *Veteres*, ratione *Moderni*;
Sudanteſque ſtylô *peregrî*, caſſôque labore
Indoctis adhibent *mirum*, doctiſque *cachinnos*;
Nil magè felices *Fungoſô*, fabula ſcenæ
Ruſticulâ levitate refert quem veſtibus uſum,
Quas memoratur herì geſſiſſe *Politulus* aptè:
Ad ſummum, Genus hoc imitantur ſcripta *Priorum*,
Simii ut antiquos cinctuti veſte *Cethegos*;
Cultibus et *verbis* eadem bene regula ſervit,
Diſtabunt recto pariter, vel ſi nova, vel ſi
Sint antiqua nimis; nec tentes tu nova primus
Verba, nec expunctor veterum tamen ultimus eſto.

* Vide *notas ad calcem*.

Carmen at à numeris pars maxima pendit; et omne,
Quod ſit *læve*, probum; pravum vocat omne, quod *aſprum*;
Mille licet decorent *veneres* ſimul undique Muſam,
Vox movet illius *Fatuos* hos ſola *canoros*.
Servitum, qui ſumma colunt *Parnaſſia* tantùm,
Auribus, haud animis: plures ceu fana frequentant,
Non Pietate, Meli verùm dulcedine, ducti.
Fit ſatìs his, menſura pedûm modo debita ſubſit,
Inde' etiamſi' aurem' occurſu' aſſiduô' angere' hiulcæ
Vocales ſoleant, jam et opem *Monoſyllaba* lentam
Dent, et verba decem uno in metrô heu! paupere reptant;
Vox *eadem* crebrò teritur dum fronte in *eâdem*,
Spe redit et certâ previſa *Notatio* rerum.

Siquando

Siquando legitur *recreante Favonius aurâ*,
Carmine contiguô *per frondes lenè ſuſurrat*;
Murmure ſeu *placidô Chryſtallina flumina ſerpunt*,
Lectori *ſomnum*, nec ineptè, verba minantur.
Calcê ſub extremô tum Diſtichon additur unum,
Nomine *Conceptûs*, quid neſcio, futile jactans,
Seſquipedale modos dum *carmen* inutile claudens
It lento, ægra ut ſerpens, ſyrmate *ſpondæorum*.
Tales craſſa ſibi modulentur metra; ſciaſque
Tu pede quid *tereti fluit*, aut *languente pigreſcit*,
Nec metri facilem renuas laudare vigorem,
Mel quô *Naſonis* miſcentur viſque *Maronis*;
Aſpera nec ſatìs eſt non eſſe poëmata; voces
Ni reſonent *ſenſum*, *ſenſûs* videantur ut Eccho;
" Sint moduli molles, cum mollè Favonius efflat,
" Horreſcantque, procul *Boreas* cùm fertur ab *Arctô*.

" Rivus uti lenis, Modulamina lenia ſunto,
" Murmuret et carmen, cum murmura narrat aqua-
" rum.
" Littora ſi reboent Maris exporrecta furori,
" * Rugiat obraucum raucô cum gurgite Metrum.
" Saxum niſû *Ajax* ſi magnô immane propellit,
" Obluctatur item, atque oneroſô it pondere carmen.
" Non ita cùm celeri pede corripit arva *Camilla*,
" Intremulaſve ſuper ſegetes volat, aut mare ver-
" rit."
Audin? ut *Andinus* variatô carmine *Vates*
Excitat affectus alternos; *Punica Dido*
Trojani modò dum, vix illud faſſa ſoroti,
Ardet amore *Viri*, modò dum deſerta querelas
Effundit miſeras, totam bacchando per urbem,
Diffuſas laniata comas, incertaque et anceps

* ——— *Sonat hæc de nare caninâ*
Littera ——— Perſ.

Quæ

Quæ quibus anteferat, nunc pallida morte futurâ
Conſcendit furibunda rogos, heu! diſſona quantum
Didoni? excepit *Teucros* quæ nuper egentes,
Solvere corde metum atque jubens ſecludere curas,
Sollicitanſque, ſuis vellent conſidere regnis.
Conſimiles animi motus lectoribus inſunt,
Sentiturque ſimul, quid amor, quid carmina poſſint.

Sic fuge, ne contrà pecces: fuge crimen et horum,
Quiſque quibus nimiùm ridet, vel diſplicet auctor;
Offendi maculis neque mox dignere puſillis,
Id cerebri eſt *hebetis* nimiùm, nimiùmve *ſuperbi*;
Vix erit, ut Stomachus, Caput hoc optabile; nil quod
Decoquit omnino, ſed et omnia nauſeat æquè;
Te tamen haud rapiat *ſententia bellula* quævis,
Mirantur ſtupidi, malint quod plaudere docti;

Nam

Nam, quæ per nebulas cernuntur, ut aucta notamus,
Omnia ſic *Animus* ſibi cognita *nubilus* auget.

Extera nonnulli, pars ſcripta *domeſtica* temnunt,
Sola *vetuſta* quibus, vel ſola *recentia* rident;
Hinc ſectæ, velut alma fides, adſcribitur uni
Ingenium; peſsùmque datur Gens cætera vatûm.
Turpiter hi *Dotem* circumſcripſiſſe benignam,
Huncque velint *Solem* ſolùm illuceſcere paucis,
Qui, licet *ingenijs* floreſcere prebeat *Auſtri*,
Non minùs hinc animos gelidam maturat ad *Arctum*,
Sæcla calore ſuo dudùm qui foverat acta,
Sentit quem *præſens*, *ſupremaque* ſentiet ætas;
Incrementa licet, ſeu decrementa ſit ævum
Paſſurum quodvis; videatque ſubinde ſerenos,
Obductoſque dies: ideo, quæ ſint nova, vel quæ

Scripta

Scripta vetuſta magis, ſtolidâ nil angere curâ,
Falſa ſed abjicias, et laudibus evehe *vera*.

Pars propriæ nunquam tradunt hortamina mentis,
Senſa ſed arripiunt, patulam graſſata per urbem.
Iſtis exemplum ſtat pro ratione; *retritas*
Dum vendunt *nugas*, alienæ inventa *Minervæ*.

Vix opera advertunt alii, ſed nomina vatûm,
Sicque probant damnantve viros, non ſcripta virorum;
Hoc grege de vili, viliſſimus audit at ille,
Qui *Procerum* tumidâ fovet in torpedine partes;
Aſſiduus *Satrapæ* ad menſam dum *Cenſor*, inanes
Fert itidemque refert tricas et inepta *Patrono*;
In *mê*, vel quovis inopi ſcriptore diurnô,
Hicce libellus uti ſordeſceret; at modò dicat
Eſſe

Eſſe *Dynaſta* ſuum, felicia diſticha! totus
Quam nitet inde ſtylus, quot acumen acumina miſcet?
Omne fugit ſacrô *Titulî* præ nomine Crimen,
Parturit atque *aliquid* nova Clauſula quælibet *altum.*

Errat, ad hunc morem, vitioſô imitamine *Vulgus,*
At nihilô *Gens docta* minùs, ſibi devia quærens;
Hi ſpernunt adeo populum, fortaſſis ut illô
Recta tenente, ſtatim ſeſe in contraria flectant;
Simplicis aſſeclas fidei quô more relinquunt
Schiſmatici; et nimiô plectuntur *acuminis* uſu.

Mane probant alii, reprobant quod *veſpere*; quamque:

Poſtremam

Poſtremam cudunt, ſibi ſemper opinio plaudit.
Utuntur Genus hoc, *Mæchi* ceu pellice, Muſâ,
Hæc vocat hora *Deam*, mox quam vocat altera *Peſtem*;
Dum capita illorum, velut oppida nuda, dietim
Alternando, vices *recti pravi*que capeſſunt.
Cur ita, ſi quæras; *plus ſe modo ſcire*, reponent,
Semper et *Heſternam* lux *Craſtina* ſcitior urget;
Deſipuiſſe *patres*, ſapimus nos tanta, putamus,
Mox hebetes noſtrâ *potiori prole* putandi.

Has olim terras *ſcholici* coluere *Sophiſtæ*,
Auctior et *Sensîs ſpinosîs*, altiùs idem
Hoc ſapuit: quin tum ſacroſanctaque *ſcripta fidem*que
In litem quaſi nata putes; ſat *acuminis* etſi
Non erat, ut vinci quiſvis aut vincere poſſit;

Sordidulîs at nunc *Schotiſta Thomiſta*que vicîs
Pace jacent placidâ, cognatas inter Arachnas.
Si nec ſacra fides variis ab amictibus horret,
Ritibus ingenium, moror haud, geſtire novellis.
Sæpe, quod *Utilitas Natura*que poſcat omiſſô,
Induit ingenii *popularis Ineptia* formam;
Seque frui *Vates* famâ ſat perpete credunt,
Dum riſû plaudunt fatui, modò vixerit illa.

Pars, ſectam mentemve ſuam laudando ſecutos,
Menſuram ſtatuunt hominum ſe gnaviter unam.
Jus tribuiſſe ſuum meritis hinc credimur; intus
Dum canimus nobis, aliorum geſta canentes.
*Ingenii Civûm*que fovent ſe mutuò partes,
Publicaque ingeminat privatas *factio* lites;
Pictoris, Satrapæ, Vatiſve induta figuram,

Vexavere

Vexavêre olim Livor, Tumor, Ira *Maronem*;

Manſit at *ingenium*, ſua paſsîs funera ſannîs,

Obrue nam *meritum* quantumvis, uſque natabit.

Illum, (cede! queat modò lumina noſtra beare)

Carbilius peteret novus ungue, novuſve *Bathyllus*;

Quin caput attollat venerandum magnus *Homerus*,

Exiliens tumulo mox *Zoilus* afforet hoſtis:

Livor enim *meriti* comes eſt, ut corporis Umbra,

Umbraque ceu corpus, *meritum* probat indice ſemet.

Invidiâ obductum, tenebris ceu *Phœbus*, acumen

Materiam, non ſe, docet obducentis opacam;

Inſtar et ejuſdem *Phœbi*, cùm fulgere primùm

Incipit; hinc illinc luci, radiando, vapores

Suſcitat obſtantes; ſed et hi poſtinde, ſereni

Facti, ornant augentque diem, lumenque mini-

ſtrant.

Primus ades tu, qui *meritis* ſe præſtet amicum,
Laus ea nulla venit, quæ laudes poſtvenit omnes.
Metrorum nimis eſt duratio curta *recentum*,
Maturèque ſuô vigeant pro tempore, par eſt;
Aurea, vix aliàs reditura, receſſerat ætas
Quâ labor ingenii *Pylios* ſibi vindicet annos.
Poſthuma Vita, diu jam *Fama* vigeſcere neſcit,
Luſtraque vix hominum numerat biſſena ſenectus;
Carmina, quæ ſumma, quâ poſſumus, arte coluntur,
Heu! quàm non-multis annis oblita fileſcunt.
Sic ubi fida aliquam graphicè tranſcripſit *arundo*
Formoſam Domini gnarâ de mente tabellam,
Cujus ad arbitrium cum jam novus exilit orbis,
Patet et ornanti Dextræ Natura ſecundans,
Dulcè liqueſcentes poſtquam coïere colores,

Luminis

Luminis et umbræ pulchrè confinia Docti,
Omnia mollibant anni cum denique in aptum,
Quâlibet audaci vix non ſpirante figurâ,
Perfida deſtituunt artem pigmenta venuſtam,
Almaque tota novi tabeſcit fabrica Mundi.

Ingenium, miſeræ (malè nota ut cætera) ſortis!
Quam creat, invidiam rarò nunquamve rependit;
Ejus, adhuc juvenes, jactamus inania tantùm
Munera, moxque perit fluxæ proh! gloria laudis;
Floris ad exemplum, primo qui vere renidens
Vernat, at ipſius moritur vernantis in ortu.
Hocce quid ingenium eſt, ſibi tanta negotia poſcens?
Uxor habentis; adeſt aliis quæ ſponte fruenda:
Id; quod, ut eſt pluris, plus ſollicitudinis adfert,
Pluſque fititur eô, quô largior illius uſus;

Quodque reformidat *Vitioſus*, vitat *Honeſtus*,
Deteſtatur *Hebes*, velit et ſubvertere *Nequam*;
Cujus et aſſequeris durè, citò perdis, honorem,
Haud cunctis placuiſſe, aliquos tamen angere, certus.

Ingenio ſat ſemper obeſt *Inſcitia*; nec jam
Semet ei adverſam (*pudor!*) ipſa *Peritia* prodat.
Præmia dum *Celebres* olim retulere laborum,
Conatos aptè decoris ſua portio manſit;
Quanquam jure Duces ſolos decuêre triumphi,
Militibus donandæ etiam ſubiêre *Corollæ*;
Nunc quotus attingit *Parnaſſi* culmina celſi,
Detruſum reliquos, totam propè novat opellam,
Mox, amor unde ſui vatem dum quemlibet urget,
Ingenia eliciunt ſtultis *certantia* riſum.

Sed *ſcriptore* magìs tibi nemo gravabitur imô
Applauſiſſe; *malus ſcriptor, malus audit amicus.*
Quid non turpe, vias quot non tentare pudendas,
Laudis ſacra fames mortalia pectora cogit?
Gloriolæ geſtire ſiti proh! deſine tantâ,
Nec *Criticum* tranſmigret *Homo* tibi totus in acrem;
Sed comes *ingenio Natura* benignior adſit,
Delinquendo, refers *Hominem*; parcendo, *Tonantem.*

At dignis animis fæces ſi forte ſuperſint
Non diſcuſſæ aliquæ *Faſtûs* aut *Bilis* acerbi,
Is graviora furor caſtiget crimina; nec quid
Defore materiam ſeclis eſt hîſce timendum;
Obſcœnis veniæ nihil eſto verſibus, iſtos

Quantovis

Quantovis auctor pulchro *ſale* tingat et *arte* ;
Stulta ſed effœti laſcivia carminis, æquè
Deridenda ſubeſt, ac *impotis* ardor *amantis.*
Illa ætas *Otî*, *Luxûs*, *Cenſûſ*que ſalacem
Protulit hanc algam, dedit et ſoboleſcere largè,
Cura fuiſſet amor quâ deſidis una *Monarchæ*,
Nequaquàm bello, raròque ſenatibus uſi ;
Rexerunt quâ Scorta *Statum*, *Status* edere mimos
Vellet, et *ingenio* fuit *annua ſtips*, ſed ephœbis
Ingenium ſatrapis ; formoſior aulica Sexus
Dramata quâ ſpectans, intùs flagrârat anhelans,
Larva nec ulla domum, ſceleri non aptior, ibat.
Ampliùs haud vultum texêre pudica *Flabella*,
Riſit et id virgo, quod moverat antè ruborem ;
Nata ſub *externô* poſtinde licentia *Rege*
Intulit audacis mera purgamenta *Socini* ;

Cœpimus

Cœpimus hinc *Batavûm* mores extollere; quorum
Relligio nobis, iis noſtrum contigit *Aurum*;
Dum mendando fidem, fidei propè prorſùs inanes,
Sacricolæ ritus faciles docuere ſalutis,
Queîs ſua *Municipes cæli* defendere poſſint
Jura, nimis ne pro libitu regat ipſe *Triunus.*
Dedidicêre ſuas ſatyras tum *Pulpita* ſacras,
Illaque blandiri *Vitium* ſibi ritè ſtupebat;
Hæc ſuper, *ingenii* cœlum invaſere *Gigantes*,
Prælaque *ſacrilegis* crepuere impunè *libellis.*
Monſtra hæc, o! Critici, jaculis contundite veſtris,
Huc iras, tonitrumque animi diſplodite totum,
Non illos imitere tamen, qui turpiter acres
Auctori ſcelus affigunt, errore ſiniſtrô;
Perverſis perverſa ſolent nam cuncta videri,
Ictericis conſpecta oculis, velut omnia flavent.

TENTAMEN DE RE CRITICA.

PARS III.

DISCITO nunc, deceat *Criticum* queîs moribus uti,

Litterulæ nil ſunt, niſi judicis *altera Cura*;
Non *Doctrina*, *Lepos*, nec *Acumen* ſufficit; his ni
Accedat *Probitas*, niteatque per omnia *Candor*;
Ut rata *judicio* ſint non modò præmia laudis,
Te ſed amicitiâ junctum ſibi quilibet optet.

De

De captu dubius, taciturnior eſto; licetque
Sis certus, videare tamen diffidere dictis;
Novimus obnixos quoſdam *Fungoſ*que tenaces,
Errantes errore juvat quos uſque teneri;
Tu ſed præteritos lapſus fateare lubenti
Corde, ſit et Cenſor *lux ultima* quæque *prioris.*

Nec *Verum* monuiſſe ſat eſt; plus *Vera* reportent
Nudè dicta mali, quàm *Falsô* miſta *decorô*;
Sunt homines, tanquam nolles docuiſſe, *docendi*,
Quidquid et ignorant, quaſi dememinêre, *monendi*;
Obſequiô niſi miſta pari, vix *Vera* probantur,
Obſequium parit *Ingenio* laudemque et amorem.

Conſilii nequando tui ſis parcus avarè,
Sordet Avaritiæ etenim, præ qualibet, iſta;
Te neque ſervilis trahat *Aſſentatio* curam
Prodere; nec tam ſis *urbanus*, iniquus ut eſſes;
Neve time, ſic te *ſapientûm* incendere bilem,
Digni laude viri *Ferulam* patientur inultam.

Quàm ſubit optandum, *Cenſoribus* uſque licere
Talia; jam ſi quid faris, rubet *Appius* irâ,
Contortis oculis, vultuque minante tremendus,
Frons velut in veteri depicta tapete *Tyranni.*
Illuſtrem titulis *Hebetem* taxaſſe timeto,
Corripiente, manet quem jus hebeteſcere, nullô;
Sunt *Genus* (ut lubet) hoc, venâ ſine divite, *Vates*,
Ceu, ſine litterulis, *Academica nomina* ſumunt.

Vera,

Vera, periculoſum capiti minitantia, linquas
Fruſtrandis ſatyris; *libros*que *dicantibus* imam
Blanditiam; quoties laudant, queis creditur haud plus,
Quam quoties ſpondent *perituræ parcere chartæ*.

Abſtinuiſſe tetrô quandòque perexpedit ungue,
Clementerque pati, paulùm ſibi plaudere *Scombros*;
Plus tua mordaci livore ſilentia proſint,
Nam quoties ſcribunt iſti, quis jurgia fundet?
Jugiter hi paſſu muſſantes deſide pergunt,
Sopiti haud aliter rixîs, quàm *Turbo* flagellîs;
Quos *peccaſſe*, facit curſum renovare priorem,
Ceu *titubaſſe*, pigros pedibus properare Caballos.

Quot modò ſunt tales, projecti fronte pudoris?
Rithmica ſectantes et tinnula verba, vel uſque

Ad Senium; *metricâ* facti ſeu febre Poëtæ;
Spurca Cerebrorum ſed et excrementa ſpuentes,
Atque exantlantes ſuprema liquamina *ſenſûs*,
Impote, quâ poſſunt, rabie dum carmina pangunt.

Id Genus effrontes vates damus eſſe; ſed an non
Lymphari Criticos parili fateare *phreneſi?*
Ebrius en! libris *Aſinus*, ſine mente volutis,
Incultæque caput doctrinæ pondere onuſtus,
Ore ſuas propriô malè garrulus erudit aures,
Auſcultando ſibi totus verſatus inepto;
Omnes iſte legit, quos et legit, impetit omnes,
A ſummô ad minimum quemvis ſcriptorê, libellos.
Vix datur huic quiſquam, ſua qui non ſcripta vel emit,
Vel rapuit; cecinit *plùs quam civilia bella*
Haud *Lucanus*; eat ſcenis nova fabula dici,

Vatis amicus erat, docuitque fideliter ipſum
Menda; *ſinent at ſe mendari quando poëtæ?*
His loca nulla, licet ſacra, ſunt immunia *Blennis*,
Fana nec ipſa vacant magè, quàm via proxima *Fanis*;
Amplexare aras, iſtìc te voce necabunt,
Stulti quippe ruent, ubi ſtare nec *Angelus* auſit.

Fiſa parùm ſibimet, *Ratio* cautè omnia fatur,
Reſpicienſque domum verſus, vix longiùs exit;
Dum clamoſa ſtrepit blateranti *Inſcitia* linguâ,
Et nuſquam pudefacta, moræ neque conſcia rectæ,
Diſſiliens rapidô verborum fulminat æſtu.

Quis ſit at iſte? cedo; monitis qui dulce benignis
Erudiiſſe putat; ſciviſſe nec apta ſuperbit;
Immotus ſtudio livoreve; nec ſibi craſſè

Præconcepta fovens ; cæcè nec idonea callens ;
Si doctus, *comis* ; verùm, ſi comis, *apertus* ;
Ore pudente procax ; cunctiſque humanitùs aſper ;
Qui notet, idque lubens, errata petentis *Amici* ;
Hoſtis et in laudem lætus velut ire *merentis* ;
Judiciô fælix terſô, tamen uſque capaci,
Moribus et ſcriptis hominum verſatus acutè ;
Colloquiô facilis, cui mens viget indiga faſtûs,
Et, *Ratio* cum recta jubet, laudare parata.

Ii fuerant, ii pauci olim Criticique beati,
Sæcula quos meliora dabant *Romæque* et *Athenis* ;
Littore deſerto, primus *Stagyrita* ſecundis
Vela dedit ventis, auſit et adire *Profundum* ;
At tutum confecit iter, longinquaque viſit,
Mæoniæ luſtrante viam ſibi lumine *Stellæ* ;

Hactenus

Hactenus immunis, *Vatum* Gens, atque ferocis
Libertatis amans, demum manſuevit, et ejus
Tranſiit in leges; hunc faſſi jure præeſſe
Ingenio, *Natura* parens cui ſubfuit ipſa.

Neglectu pulchrô delinit *Horatius* aures,
Ducit et in *rectum* Sermonibus, ordine caſſis;
Suaviter attingens animos, imitatus amicum,
Utile dum *dulci* præcepta per obvia miſcet;
Huic (qui judiciô clarebat, ut indole, princeps)
Audacter licuit cenſere, canebat ut ipſe;
Cenſuit at modicè, cecinit licèt igne; nec uſquam
Dictavit *normis*, ſua quod non *pagina* ſpirat.
Itur in oppoſitum noſtris Cenſoribus; æſtum
Cenſentes rapiunt, *Scribentes* frigore torpent;

Plura nec inſulſô patitur præ interprete *Flaccus*,
Barbara; quam *Criticis* de more citantibus ipſum.
Pandit ut altiſonum *Dyoniſius*, audin? *Homerum*,
Extunditque novos è carmine quôque Decores;
Dum placet arte ſales miſcente *Petronius*, aulæ
Moribus, atque ſcholæ ſtudiis melioribus auctus.
Scripta ſed auſteri pleniſſima *Quintiliani*
Diffundunt æquas, æquô ſimul ordine, normas,
Multiplici ſerie poſitis rituque venuſtô
Sic ornata vides *Armamentaria* telis,
Non ſolùm tamen hoc, ut delectentur ocelli,
Promptiùs at, poſcat cum res, habeantur in uſum,
Afflârant.

Afflârant, *Longine*, novem tibi, magne, Sorores,
Igne beando ſuum *Criticum*, redolente *Poëtam*,
Qui, Judex ardens, ſtudioque fideliter hærens,
Cum fervore quidem, rectô decernis at ore;
Exemplô tua dicta tuô rata reddis abunde,
Grande illud *Sublime*, aliis quod præcipis, æquans.

Regnavere diu *Critici* ſic jure, modoſque
Ponebant *Laxo*, legeſque dedere ſalubres;
Crevit ut imperium *Romæ*, creſcebat acumen,
Victriceſque Aquilas ſunt artes ponè ſecutæ.
Obfuit heu! tandem communis at hoſtis utrique,
Vidit et una dies Artes Romamque cadentes.
Vana *Superſtitio* coïere feroxque *Tyrannis*,
Corpora ut *hæc* vinclis, animos ita ſubdidit *illa*.

Multa quidem *credi*, *comprêndi* pauca ſolebant,
Et *ſciviſſe minùs* dederat *magè ſanctus* haberi;
Dilluvies artes nova merſerat, inque choatam
A *Gothicis*, Monachi conſummavere ruinam.

Tandem at *Eraſmus* (non æquè non jureque læſum
Nomen id eximium, *Cleri* decus ille pudorque)
Fluctibus inculti furialibus obſtitit ævi,
*Vandalos*que pios iſtos depulſit arenâ.

Quælibet, inſtabant ſed ut aurea regna *Leonis* *,
Muſa reviviſcit, lauros renovata caducas;
Antiquus *Romæ Genius* ſuper incubat urbis
Rudera, decuſſôque levat jam pulvere frontem;

* *Leo* X, Papa.

Mox *Sculptura* redit, *Soror ars* redit omnis; in al-
mas
Saxa ſalire putes formas, ſpirareque *Rupes*;
Uberiore melô ſurgentia *Fana* ſonabant,
Pingebat *Raphael*, modulis et *Vida* canebat;
Neſcie *Vida* mori, *Criticæ* cui tempora dignè
Conſerpunt *Hederæ*, *Laurus*que *poëtica* circum;
Læta tuum jactet nomen ſine fine *Cremona*,
Mantuæ ut ipſa *locô*, jam *per te* proxima *famâ*.

Aſt, iterum *Latiô* mox ſæva per arma fugatæ,
Deſeruere piæ dudum loca nota *Camænæ*;
Viſit hyperboreas hinc alma *Scientia* terras,
Claruit at *Criticis* præſertim *Gallia* ſcriptis;
Servitio Gens nata, regi ſe lege ſinebat,

Et,

